Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26880
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uenit ad eum. dicit ad phylippum. Unde eme-
mus panes ut manducent hii?
miracula que fecit dominus noster ihesus christus sunt quidem diuina
opera. et ad intelligendum dominum de uisibilibus
admonent humanam mentem. Lectio in aduentu domini.
R. In sabbato. Cum appropinquasset. Dominica ii.
ERUNT signa in sole. ii. secundum Lucam xxi.
et luna. et stellis. et in terris pressura
gentium pre confusione sonitus maris et fluc-
tuum arescentibus hominibus pre timore et ex-
pectatione que superueniet uniuerso orbi. Nam
uirtutes celorum mouebuntur. Et tunc uidebunt
filium hominis uenientem in nube cum potes-
tate magna et maiestate. His autem fieri in-
cipientibus. respicite et leuate capita uestra.
quoniam appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis
similitudinem. Uidete ficulneam et omnes ar-
bores. Cum producunt iam ex se fructum. scitis quia
prope est estas. Ita et uos cum uideritis hec fieri.